

## DE VARIOLIS

punt, aliæ tardè, & aliæ post eruptionem augentur, aliæ evanescent. Postremò ab euentu morbi; vnde variolæ aliæ in abscessum desinunt, aliæ discutiuntur &c.

Signa va-  
riol. &  
morbil.

27. Variolæ & morbilli. cùm iam perfectè in cute eruperunt, per se facile dignoscuntur. Antequam verò erumpant, imminentes præfigere oportet ex symptomatibus quæ consequuntur ebullitionem sanguinis, & vehementem naturæ conatum dum ad expellendum insurgit. Nam ob ebullitionem sang. & perturbationem naturæ præcedere plerūq; solet febris continens, quæ ut plurimum impetuosa est, cum calore magno potius quam acri. Deinde totius corporis ardor, grauitas & punctiones, frequens pandiculatio & palpitatione, capitis grauitas & dolor, delirium, totius faciei rubor, lacrymæ copiosæ, narium auriumq; pruritus, sternutatio, terrores per somnum & phantasmatu rerum rubrarum & coruscantium, oris exitatio, sputum crassum, raucedo, difficultas spirandi, aut angustia in pectori & gutture, dorsi dolor, magna anxietas & inquietudo, tremor manuum pendumq; aliquando cordis palpitationes, epilepsia, aliaque symptomata, pro dispositione corporis, & impetu humoris in partes ruentis.

28. Vrina in hoc affectu nullum certum præbet indicium: Verùm plerūq; sanorum similis aut subpallida, subtilis, interdum paululum turbata; altius ut plur. suppressa, quod natura aliò humores propellat. Verùm morbilli citius plerūq; erumpunt quam variolæ, & cum minore dolore dorsi, maiore siti, ardore, inquietudine, & febre acriori magisq; ardente. Adiungenda sunt his signis contagium vagans, si tūm temporis variolæ aut morbil. grassentur, aut æger cum illis conuersatus fuerit, qui tali morbo laborarunt. Communiter verò variolæ magis veris & æstatis initio fiunt, morbilli æstate & autumno.

29. Vbi